



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

XXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

perculā hu-
manitas.
ex multa humilitate, num̄ posset ipsa eam ferre ad domum hospitem S. Antonij. Sed cum non posset, voluit vt dominus Magnus capellanus eius iuuaret ipsam: atque ita ambo simul deportarunt eam ad domum illam: cuius præfecto numeravit ipsa pecuniam, vt curam eius gereret. Interim crebrò visitabat eam, donèc eatenus curata fuit, vt iam commodè posset per urbem ingredi. Postea verò cum eam acciuisset ad ades suas, re accuratius inuestigata, comperit eam laborare morbo comitiali. Ita, quæ feruenter pro illa orans, ad collum eius piè admouit aliquot lapillos sui, vt vocant, rosarij, ad quos preces dicere solebat. Mox illa reualuit, nec vnquam eum morbum deinceps experta est, licèt diu superuixerit.

Eccē Vim
Rosarij et
granorū ei
quæ hæreti-
ci abieciunt.
Cap. 28.
Monachus quidam Ordinis Cisterciensis, Robertus nomine, præ immo- dica abstinentia mente captus fuit. Oranti pro eo S. Birgitta Christus apparuit, dicens: Homo ductus fuit, vt vineam coleret: cumque haberet multorum dierum negotium, ille ductus cupiditate pecuniarum, vt totam mercedem vno die lucraretur, vsque adeo se confecit labore, vt in morbum grauem incideret. Tum verò magna ex parte vinea mansit inculta, cum ille laborem nullum ferre posset. Sed opere cessante, merces ei perfoluta non est. Itaque accidit huic Roberto, pro quo tu deprecaris: veruntamen hoc incommodo is liberabitur, quod etiam euēnit postea.

Cap. 29.
Pellit da-
mones ab
obsculis.
Habuit S. Birgitta cursorem, quem dæmon arripuit, sed ea illum ab homine profulgauit. Item in regno Suediæ foeminam dæmoniacam ipsi oblatam, pristinae sanitati, cum ei Crucis signum impressisset, restituit. Expulit etiam dæmonem è domo quadam, multa aduentantibus responsa dantem, multaque prædicere conantem, hominumque res occultas prodentem. Quidam per incantationes capiebat multos pisces. Eum S. Birgitta hortabatur, vt à nefario opere cessaret. Sed ille spernens admonitiones eius, mortuus inuentus est. Fratrem etiam quendam, ex dæmonis tentatione immo- dica fame laborantem, curauit. Capellanum suum, grauissimè dolentem caput, tactu suo sanauit. Multa alia & in vita, & in morte, quæ propè fidem excedere videntur, operata est, quæ vitanda prolixitatis causa omittimus.

Cap. 30.
Multi è
Suedia ve-
niunt Ro-
mam pro-
pter con-
donationes.
Cum S. Birgitta Romæ degeret, Catharina filia eius permissu mariti, qui erat cognatus regis Suediæ, Romam venit anno Christi millesimo, tricentesimo, quinquagesimo, qui iubilæus erat. Venere cum illa multæ aliarum dominarum & peregrinarum & familia magna, vt possent Romæ obtinere condonationes siue Indulgentias iubilæi, & vt ipsa matrem suam inuiseret. Cum iam aliquod lapsus esset temporis, nec Romæ quicquam sciretur de obitu mariti Catharinæ, S. Birgitta diuinitus edocta de morte eius, ait ad illam: Filia mea, noueris è vita excessisse virum tuum, Elige igitur aut secundas nuptias, aut viduitatem. Sic enim diuinitus iussa erat tentare illam, quod esset iuuenicula nobilis, potens & opulenta in regno Suediæ. Illa, audiens obisse maritum, viduitatè complexa, statuit matri adharere.

DE S. CHRISTINA VIRGINE ET MARTYRE EX ADONIS TREVIREN. ARCHIEPISCOPI MARTYROLOGIO.

Iulij 24.
Christina,
iubente pa-
tre, dirè ca-
ditur.



PVD Italiam in Tyro, quæ est circa lacum Vulsinum, natale S. Christinæ virginis: quæ in Christum credens, deos aureos Urbani patris sui præfecti contriuit, & pauperibus distribuit. Ob hoc, iubente patre, alapis afflicta, verberibus dilaniata, ferro onusta, in carcerem coniecta est.

Post hoc cum diutissime & crudelissime dilaniaretur, de carnibus suis patri in faciem proiecit. Cumque alligata rotæ, igni supposito, & fuso desuper oleo torreretur, erumpens flamma mille gentiliū interfecit. Iterum carceri tradita, Angelo visitante, sanata est & refecta.

Torretur
ignibus.

Multis sup-
plicijs affi-
citur.

Sagittis co-
fecta obit.

Deinde cum magno saxi pondere in lacum Vulsinum iactata, Angelico præsidio liberata est. Quam successor patris eius Diò multis iterum supplicijs afflixit: sed orante illa, simulacrum Apollinis, quod Dion adorare videbatur, in fauillam subito redactum est. Quo miraculo tria millia hominum ad fidem Christi conuersa sunt. Nouissime successor prædicti Iulianus, post fornicationem candentem, ubi quinque diebus illa permansit, post serpentes à venefico immixtos, sed Christi fide superatos, post abscissionem linguæ, sagittis eam cofigi præcepit: sicque martyrij cursum consummauit.

VITA

MARTYRIVM ET TRANSLATIONEM S. IACOBI MAIORIS, & aliorum Apostolorum, eleganti stylo descripsit F. Ioachimus Perionius, monachus Cormariacenus, ad quem Lectorem remittimus. Is floruit sub Iulio tertio, cui suum libellum Parisijs impressum dedicauit.

VITA ET MARTYRIVM S. CHRISTOPHORI, PER F. LAVRENTIVM SVRIVM EX DIVERSIS compendio descripta.



CHRISTOPHORVS illustris martyr, ex Cananæa fertur duxisse originem. Diuinitus autem à Christo illuminatus, in Lyciam venit eo animo, vt Christum passim confiteretur & prædicaret. Id vt posset efficacius, preces ad Deum continenter fundebat. Cùm esset autem statura corporis procærus, passim omnes in illum oculos coniciebant. Virgam gestabat manu: quam cùm in terram defixisset, & illa repente non sine ingenti miraculo vireret, multi sua nomina Christo dedere. Confirmabat Christus prædicationem fidelis serui sequentibus signis. Iam fama sancti viri peruenerat ad Dagnum, qui per id tempus in Lycia rerum potiebatur. Is molestissimè ferebat Christum Iesum illic annunciari. Misit igitur milites, qui Christophorum ad ipsum adducerent. Postquam aduenit beatus vir, à fide eum auertere nitēbatur Dagnus. At sanctus Christophorus & spiritu & corpore magnus, fidem suam præclare confitebatur & nomen: dicens se antea quidem Adocimum, id est, reprobum, dictum fuisse: nunc verò Christiana religione initiatum, Christophorum appellari. Et rectè sanè dictus est Christophorus, qui Christum sacra prædicatione Euangelij cunctis eum experentibus adferret.

Inlij. 25.
Venit in Lyciam.
Multos conuertit.
Christophorus quare dictus sit.

At prophanus homo Dagnus, gentilissimi tenebris & erroribus occæcatus, Christi religionem stultitiam vocitabat, Christophoro egregiè respondente, eam demùm veram esse stultitiam, cæca, surda, & muta dæmonum simulacra adorare, illam veram esse sapientiam, illum solùm Deum colere & adorare, qui calum, terrã, mare & omnia, quæ in eis sunt, creauit, qui nos quoque condiderit, & ab æterno igne possit liberare. Abductus inde est in carcerem Christophorus, donèc apud se tractaret Dagnus, quo supplicij genere eum tolleret è medio. Et primò quidem id illi consultissimum visum est, vt duæ ad eum meretrices in carcerem intromitterentur, quæ eum ad res venereas prouocarent, & ita faciliùs ad idololatriam deuolueretur. Sed simulatquè in carcere venèrè impudicè fœmine, adeò sunt diuinitus exterritè & illuminatè, vt & facinus suum agnoscerent, orarentq; Christophorum, vellent pro ipsis Dominum deprecari. Respondit Christophorus se libenter Dominum rogaturum, modò ipsæ velint, repudiato impuro loue & Apolline, Christi religionem profiteri. Illis prompto animo assentientibus, Dagnus quid actum esset percepit, accitasque Nicetam & Aquilinam, (sic enim vocabantur) iubet dicere rem totam. Dicunt illæ intrepidè. Dagnus præcipit, vt in fanum ducantur, & idola adorent. Veniunt in templum, irrident dæmonum statuas, vt quæ nec ratione, nec sensu, nec vita præditæ sint, nec hoc contentæ, zonas in caput Iouis iniiciunt, & illum magnum dæmonem trahunt per templi pauimentum, pedibus benè largiter eum cõculcantes. Irascente magistratu, respondebant ille, non se deos conculcare, sed ligna & lapides. Et ò miseros, inqueiebant, deos illos, qui se à fœminis patiuntur in solum deturbari. Cùm ea autem constantia niterentur, grauissimis affecta cruciamentis, ad extremum capite punitæ sunt.

In carcere intromittuntur ad eum duæ meretrices.
Meretrices conuersæ irrident dæmonum simulacra.
Viri 40. per S. Christophori conuersi, decollantur.

Ante illas Dagnus etiam viros quadraginta, Christophori doctrina conuersos, capite cædi iusserat. Inde iubetur fortissimus Christi miles Christophorus sisti rursus coram Dagno: sed cùm inuisa animi virtute in verbo gratiæ perstaret, nec ab illo vellet vlla ratione deficere, cui in baptismo iurarat, multiuarijs est pœnis crudelissimè excarnificatus. Interim plerique nobiles credebant in Christum, & cùm Dagnum oburgarent, citò Christi martyres effecti sunt, sanguine pro pietate effuso. Iussit verò tyrannus

Hh tyran-